

tende. Non hac Pythagoreorum est schola, non Theologorum, in quibus autoritas pro ratione admitti debeat. Soli hūc Theologiae honorem habemus, ut quod ex sacris monumētis profert, id nos sine ulla dubitatione pro sacrosancta & firma veritate recipiamus. Liberum in alijs artibus, atq; primis in Philosophia naturali iudicium ingeniosis & politis hominib. relinquitur. In quo ipso Aristotelem, cuius non omnia firma dogmata esse diximus, autorem habemus, quem maximè imitemur. Is enim tam ab alijs philosophis, quos antiquitas omnis admirata est, discessit, tum à magistro suo Platone: cuius cū totā ferè philosophandi rationem immutasset, cupidius eum, & aliquando nullo merito insectatus fuisse animadvertitur. Fecerunt idē alij ante ipsum, & postea quoq; multi: neq; nunc desunt, qui eandē sibi philosophandi libertatem eripi nolint. Docet enim ille ipse Aristoteles, veritatem amicitiae & rebus omnibus anteponendam esse. Hanc si maiores nostri libertatem neglexissent, & anteaetate etatis inuentis contenti nihil praterea sibi querendum putassent, Deum immortalem, quantis in tenebris versaremur disciplinarū omnium? Iisdem, hac quoq; etate vestigijs ingressi viri docti, praecleara multa, quae veteribus ignota fuerunt, ex natura tenebris eruerunt: plurima multo meliora quàm ab illis acceperint, reddiderūt. Atq; hoc sanè modo exculta, perpolita, amplificatae sunt praeclearae artes, Theologia, Physica, Medicina, Iurispr. & aliae omnes, tum liberales, tum Mechanicae omnium generum. De te hoc loco nihil dicam, ne penè in os te laudare voluisse videar: sed hoc tamen, tua pace dicā Eraste, si nihil praterea tibi inuestigandū existimauiesses, nisi quae à veteribus relictae sunt: si eorum doctrinam novis inuentis illustrare atq; augere nō studuisses, quod certè magna tua cū laude praestitisti, nō sanè tātus esses, atq; ab omnib. & philosophus, & Medicus, & Theologus habereris. Alios quoq; praetereo (in quib. est Simonius illustri loco clariss. philosophus & Medicus, amicus meus singularis) qui philosophica hac quā dico libertate ita fruuntur, ut qui maximè: quo fit etiā, ut noua indies, & praecleara nobis ingenij sui monumēta proferant. In horū numerū venit Marcellus Squarcialupus, quē Simleri Bibliotheca nescio quo errore,

errore.